3. 6. 873

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI TABARRANI LUCENSIS

OBSERVATIONES ANATOMICÆ

IN BONONIENSIS ACADEMIÆ

Inſtituti Scientiarum Philoſophico privato conventu jam habitæ,

Modo vero

Ab Auctore quibusdam aliis adauctæ, & variis Annotationibus illuſtratæ.

LUCÆ MDCCXLII.

Typis Joſep. Salani, & Vinc. Junctinii.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

PETRI
TABARRANI
LUCENSIS

OBSERVATIONES ANATOMICÆ

IN BONONIENSIS ACADEMIÆ

Inſtituti Scientiarum Philoſophico privato conventu jam habitæ.

Modo vero

Ab Auctore quibusdam aliis adauctæ, & variis Annotationibus illuſtratæ.

LUCÆ MDCCXLII.

Typis Joſep. Salani, & Vinc. Junctinii.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI

TABARRANI

LUCENSIS

OBSERVATIONES ANATOMICÆ

IN BONONIENSIS ACADEMIÆ

Inſtituti Scientiarum Philoſophico privato conventu jam habitæ.

Modo vero

Ab Auctore quibusdam aliis adauctæ, & variis Annotationibus illuſtratæ.

LUCÆ MDCCXLII.

Typis Joſep. Salani, & Vinc. Junctinii.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO

ET REVERENDISS. PRÆSULI

D. D.

ANTONIO

LEPROTTO

INTIMO PONTIFICIS MAXIMI

BENEDICTI XIV.

CUBICULARIO,

ET ARCHIATRORUM COMITI,

Inclytæ Regiæ Londinenſis, nec non Inſtituti ſcientiarum Academiæ, quæ Bononiæ eſt, Sodali Meritiſſimo.

PETRUS TABARRANUS S. D.

C*UM viderim, vir ampliſſime, anatomicas iſtas obſervationes meas quamvis paucas, leves, incomptas, atque inter ſe valde diſjunctas quibusdam probatis, atque doctrina excultis hominibus arriſiſſe, eaſdem præ-*

lo committere audaci tandem animo deliberavi. Veruntamen non tam fidenter me gerere in præſens opinor, cum eadem illa die (quod valde meminiſſe juvat, atque delectat) qua in conſpectu doctiſſimorum Academiæ Inſtituti Scientiarum Bononienſis collegarum legere auſus fui, hi ipſi patienti & libenti animo [ut ſunt facillimi, ac ſuaviſſimi homines] graviſſimas aures ſuas mihi dedere; libentius vero ſtudioſiuſque tum me audiverunt, cum ex eis quaſdam vel una tecum feciſſe initio intellexerunt. Quamobrem ſingulis his clariſſimis viris tum me fortunatiorem merito ac jure exiſtimavi, eo quia ſi tu vir doctiſſime ab illo virorum cœtu florentiſſimo ſodalis & amici, a me vero ſuper hæc fautoris loco atque præceptoris tenendus ſis: ſiquidem amicitiæ & beneficiorum, dum Romæ fuerim, acceptorum, tum etiam monitorum præceptorumque optimorum in Phyſica, in Matheſi atque in re præſertim Anatomica memoriam habeo perennem. Quot inſuper utilia in Medicina facienda, atque optima documenta mibi, & Franciſco Ruſſeo viro vel majoris in dies apud Romanos in Praxi exercendæ expectationis, in quotidianis

aſſi-

aſſiduis privatis congreſſibus ob ſummam in nos benevolentiam exhibuiſti? quod tum nobis ætate florentibus quanti fuerit commodi atque utilitatis, ne male poneremus initia, ſicque cætera ſequerentur, ſecundum aureum illud Ciceronis effatum, ut male poſuimus initia ſic cætera ſequentur, [a] *ſatis exponere non poſſum. Per ceræ iniectionem in alteram ex internis jugularibus, duræ matris ſinuum hiſtoriam opera tua atque impenſa magnopere illuſtrare, Thermometra præterea ad motum promptiora, multoque minus errori obnoxia ſuperioribus annis reddere datum eſt: omnia enim per id temporis, quæ ſcitu neceſſaria erant, cum earum rerum, ut vere dicam, omnino ignarus eſſem, perhumaniter me docuiſti; prætereaque vel ea omnia, quæ mihi opus erant, cum omnium ſimiliter expers exiſterem, libenter impertitus es. Quibus de rebus omnibus inclyta Inſt[illegible]ti ſcientiarum Bononienſis Academi[illegible] conſcia eſt, ad quam illorum, ſinuum ſcilicet plures Icones, in quibus Romæ una ſimul elaboravimus, miſiſti; de Thermometris vero in diſſertatiuncula clariſſimos*

* 3 *in-*

[a] *Epiſt. ad Attic.* 17.

inter Academicos proximis annis egomet locutus ſum.

Hæc omnia icciroo indicare operæ pretium duxi, ut tibi de me optime merito gratum me præberem, itidemque ne tantum apud me amorem gloriæ quiſque crederet, ut mihi uni tribuerem, quod vel aliis merito impertiendum eſt.

Præter illa vero, quæ modo expoſui beneficia, alio admodum ſingulari poſtremo me plene cumulateque ornaſti, dum ſumma, qua præditus es, humanitate, mihi poteſtatem feciſti, ut leves iſtæ, & puſillæ obſervatiunculæ tuo præclaro nomine inſcriptæ atque inſignitæ prodirent; pro quo tanto beneficio immortales ego tibi gratias ago, ſemperque habebo maximas dum vivam. Neque a quopiam unquam putetur me hæc omnia auribus tuis dare; etenim quam longe abſim ab ea neceſſitate, unicuique ſatis ſuperque perſpectum eſſe ſperare videor.

Si cadaverum incidendorum opportunitas in rebus meis familiaribus, ad quas incumbere oportuit ob immaturum chariſſimi atque amantiſſimi fratris mei interitum, ex quo mœrorem tantum licuit imminuere, dolorem non potui, ſi inquam ea opportunitas proximis annis non de-

fuiſ-

viſſet, earum obſervationum numerus profecto auctus prodiiſſet; & quamvis libros evolvere curæ diligentiæque fuerit, magnam tamen eorum copiam noſtris in regionibus adinvenire nuſquam licuit: iccirco lectores facilem dabunt excuſationem, ſiquando accidat, ut aliquo in loco ſcriptorum nomina ſiluerim; unumquemque enim ſpero non latere, in aliorum laudes & obſequia coram & propenſo quidem animo quam maxime appaream.

Nonnulla ab aliis propoſita in dubium quandoque vocavi, minimeque approbavi; verum [ni, ut proclive eſt, prorſus deceptus ſim] non id ambitione quadam, neque contradicendi prurigine, ſed veritatis tantum amore compulſum quiſque me id feciſſe cenſeat; ita ut ſi quis unquam objiciendum aliquid habeat, quod veritati favere, bonoque publico prodeſſe valeat, nullum quam memet magis gaudere intelligat: attamen in eiſdem cadaveribus non ſemel tecum, & præſtantiſſimo Galeazio deliberaſſe, & conſultaſſe me ſummopere confirmat & recreat.

Lectori gratum futurum eſſe exiſtimavi paucas adjicere Icones, quas meo tantum commodo atque uſui Bononiæ de-

*delineatas volui, quæ licet paucæ pa-
vique momenti ſint, nihilominus tamen
facilius, & proclivius, ut ſpero, id
omne ad eaſdem ſpectans, quod jam
deſcriptum eſt, per eas intelligetur.*

*Cæterum, vir præclariſſime, etiam
atque etiam rogo, ut quoniam locorum
intervallo nunc diſſiti ſumus, per cre-
briores literas, ſi libet, colloquaris,
optimique tui conſilii, tum etiam pere-
grinorum ſcriptorum, quorum copia tu
jugiter affluis, nos autem caremus, per
ſummam tuam benevolentiam, atque
humanitatem conſcium, ut ſoles, me fa-
cere proſequaris. Poſtremo mea magni
intereſt, me ut ames, carumque habeas;
iccirco id ut facias te obteſtor, atque
obſecro. Vale*

Lucæ tertio Idus Aprilis MDCCXLII.

TABULARUM
EXPLICATIO.

Tabula I.

TUmorem proponit Ventriculo Hepatique adhærentem una cum ipſis extractum, atque ad hunc modum delineatum, ut ſcilicet ille poſitus appareat, quem num. VIII. indicavi.

A. A. *Ventriculus, atque ejus ipſius*
B. *Orificium dextrum, ſeu* Pylorus.
C. *Duodeni Inteſtini amputati portio.*
D. D. *Tumor, de quo num.* VIII. *ſatis ſuperque dictum eſt.*
E. E. *Concava Hepatis ſuperficies Tumorem ex altera parte amplectens, quemadmodum eodem num.* VIII. *expoſui.*
F. *Spigelii Lobus, ſic Anatomicis vocitatus, eo quod ejus deſcriptionem primo, ut perhibent, Spigelius tradidit.*
G. *Fellis Ciſtula.*

H.

H. *Arteria Celiaca, ex qua proximi in hoc Cadavere emergebant rami.*

I. *Ramus Splenicus.*

K. *Ramus Hepaticus.*

L. *Ramus Tumorem ingrediens.*

M. *Ramus alter eundem Tumorem pariter introeuns conſulto amputatus, eo quod ſubtus ferebatur, atque in hoc iſto partium poſitu tegebatur.*

Tabula II.

OStendit Tumorem atque Ventriculum, utrumque diſciſſum atque explicatum, ut reliqua omnia, quæ num. VIII. propoſita ſunt, conſpici queant.

A.A.A.A. *Tumoris paries exſectus atque evolutus, ut intus incluſa in conſpectum veniant.*

a.a. *Binæ Arteriæ ſuperiori Tabula indicatæ litt.* L. & M. *Tumorem ineuntes.*

B. B. B. *Quamplures Sanguinei Grumi, quos inter cernebantur*

C. C. C. *Veſicæ variæ magnitudinis humore fere limpido repletæ, ut n.* VIII. *jam dictum eſt.*

D. D. *Ventriculi facies interior, in qua perbelle conſpicitur* E.

E. *Dilaceratio atque hiatus n.* VIII. *deſcriptus.*

F. *Orificium dextrum ſeu* Pylorus, *ubi circularis Membrana, ſeu Valvula ſatis ampla conſpici ſolet, a cel. Heiſtero optime delineata* [Compend. Anat. Tab. I. Fig. 6. lit. C. D. atque. E. G.] *cujus tantummodo veſtigium hic apparet.*

G. *Portionis Inteſtini Duodeni facies concava.*

Tabula III.

Figura I.

EXhibet inferiorem faciem poſtremæ Dorſi Vertebræ naturali valde majoris delineatæ, ut melius paulo hujus ipſius fractura conſpici valeat, quemadmodum in hiſtoria III. num. VII. indicatum eſt.

Figura II.

DEmonſtrat poſitum a ſiniſtra parte aſpectum omnium Muſculorum, qui, amotis Splenio, Serratis aliiſque ſuperpoſitis, ſpectantur. A. A.

A. A. *Oſſa Cranii .*

b. *Proceſsus Maſtoideus .*

c. *Proceſſus Styloideus .*

d. *Foramen Meatus auditorii .*

B. B. *Muſculus magni Complexi nomine vocatus , ut ab hoc eodem diſtingueretur*

C. C. *Muſculus Complexus Parvus , a Recentioribus ſic vocitatus : qui Muſculus ab ipſo magno Complexo & Dorſi Longiſſimo , quibuſcum Proſectorum quorundam mos eſt , ut ſæpius confundant , cum Celeberrimo Winslowio non dubito quin ſit diſtinguendus .* [Vid. Expoſit. Anat. Traité des Muſcl. n. 621. 624. 700.]

e. *Proceſſus , ſeu Apophyſis Tranſverſa primæ Cervicis Vertebræ , in quam hic inſeri deprehenditur*

D. *Muſculus Obliqvus Parvus , ſeu Obliqvus Superior Capitis .*

E. E. *Muſculus Sacrolumbus , ſeu mavis externa ipſius pars , in ſingulos Coſtarum angulos totidem diſtinctis tendinibus inſerta .* [vid. cll. viros Morgagn. Adver. Anat. II. Animad. xv. Winslowi. Traité des Muſcl. n. 680. & ſeq. Anonym. Auctor. Gall. cujus mentio

jam

jam facta eſt num. IX. pag. 23. atq. alibi. Abregé de l'Anat. Tom. Prem. pag. 203.]

F. *Locus, ubi Muſculus iſte Sacrolumbus* E. E. *cum Dorſi Longiſſimo arctius permiſcetur & confunditur.*

G. G. *Muſculus Tranſverſalis Cervicis num.* XII. *large & copioſe deſcriptus. a nonnullis Anatomicis celeber.* Winslowio *præſertim* [loc. cit. num. 665.] *Transverſalis magnus nuncupatus, ut ab hoc ipſo ſecerneretur*

H. H. *Transverſalis Cervicis Parvus, ſeu Gracilis a* Winslowio *ſic dictus:* (loc. cit.) *quanquam alii Proſectores, Anonym. e. c. Auctor Gallus paulo ante memoratus* [loc. cit.] *eum Muſculum pro interiori parte Sacrolumbi, atque alii aliter agnoſcant, perinde ut num.* XII. *expoſitum eſt.* (Vid. & cl. Morgagn. Adverſ. Anat. II. Animad. XV.)

I. I. I. *Muſculus Dorſi Longiſſimus, in cujus craſſo Tendine ſecundum ea, quæ num.* XIII. *oſtendi, inſigitur*

K. K. K. *Muſculus Magnus Dorſi Spinatus, Semiſpinati nomine vulgo appellatus.*

L. *Por-*

L. *Portio Spinati, ſeu Semiſpinati Cervicis Muſculi [quum reliqua, maxima ſcilicet ipſius pars in tali Sectione Anatomica a muſculis ſuperpoſitis contegatur] a quibusdam Anatomicis Transverſalis Cervicis Spinati nomine inſcripti* [vid. Winslo. loc. cit. num. 670, & ſeq.]

M. M. *Os Ilium*.

N. N. *Os Sacrum*.

Digitized by Google

3. XV

QUod in veſtrum præclariſſimum cætum hodie allaturus ſum, Academici, res aliquot morboſas continet, atque alias nonnullas, quæ in ſtatu naturali ſe offerunt, de quibus vel contra atque ego obſervavi, ab aliis ſcriptum eſſe intelligo, vel mentio nullatenus facta eſt; vel denique ſermo habendus eſt mihi de iis, quæ a quibusdam aliis jam commemorata ſunt, ſed rem non ſatis exploratam eſſe animadverto. Id ergo omne dividam in partes duas. In prima morboſas affectiones tan-

tum, in alia vero reliqua ingenue, breviter, atque perſpicue pro modulo meo commemorabo.

Vertebrarum fractura pro earumdem Luxatione vulgo male accepta.

II. Non modo in hoc D. Mariæ Mortis Noſocomio hoc anno 1740., ſed etiam Romæ una cum viro clariſſimo Antonio Leprotto Archiatrorum comite Clementis XII. ac Benedicti XIV. nunc feliciter regnantis, & Franciſco Ruſſeo D. Mariæ Conſolationis Noſocomii Medico, atque amico noſtro videre contigit proximis annis, ſcrutarique quædam eorum cadavera, quos vertebræ cujuſdam luxatione teneri communis erat opinio; at unam vel alteram dorſi vertebram in ſuo corpore nunquam non fractionem, nullam profecto luxationem pati plane conſpexi.

Quod ſi quis velit quas credo ſpinæ fractiones fore, luxationes eſſe dicendas, eo quod vertebræ ſedibus ſuis omnino loco motæ ſpectentur, huic ego non ſum valde adverſaturus, dummodo homo iſte fateatur, vertebras, ni corpus earum frangatur, haud excidere.

Cum fractura ver-

III. Præterea haud quaquam neceſſe eſt ut cum fractura conjungatur luxa-

xatio; in tribus enim e. c. cadaveribus, quorum mox referam hiſtorias, vertebræ in ſuo corpore, abſqueoquod loco motæ eſſent, fractæ omnino viſæ ſunt: ne multa, tum in ſpina fractæ vertebræ unaque earum luxatio invenitur, quantum videre datum eſt, cum fractura eſt maxima. *tebrarum non ſemper adeſt ſpinæ Luxatio.*

IV. Sententia itidem eorum, qui ſibi perſuaſum habent, ut legiſſe memini, ex quocumque ictu vertebrarum corpus nullatenus frangi poſſe, tam a vero aliena eſt, quam quod alieniſſimum; etenim in cadaveribus quæ ego obſervavi, vertebrarum corpus modo plus, modo minus fractum animadverti, & tamen in his omnibus ex lapſu fractionem ortam eſſe certo ſcio. *Ex ictu, vel lapſu vertebrarum corpus frangi valet.*

V. Fateor equidem profeſſores jam tradidiſſe generatim vertebras, quippequæ ſunt maximo tutatæ munimine, difficillime e ſedibus ſuis divelli; quamobrem luxationem tantummodo incompletam in eis plerumque inveniri aperte perhibent, ideſt cum uni vertebrarum obliqui proceſſus loco moventur (*a*). Reor tamen ſpinæ *Incompleta vertebrarum Luxatio quomodo intelligatur.*

A 3 ex

(a) *Joan. Petit. Traité des malad. des Oſ. Tom. pr. cap. 4. pag. 97.*

ex ejuſmodi luxatione tantam haud accidere læſionem, ſic ut ſenſus motuſque in artubus intercidant, & ſupprimatur urina, quæ ſymptomata vertebrarum luxationem comitari vulgo dicitur; (*b*) cum hæc eadem, meo ju-

---

(b) *Veruntamen ait Gulielmus de la Motte Chirurgiæ apud Gallos profeſſor celeberrimus non oportere perinde vertebras refringi, ut exitialia ea eveniant ſymptomata: atqui hoc idem perhibet, non ut in cadaveribus obſervatum, ſed tanquam meram ſuam meditationem exponit; proin hac in re cl. viro minime aſſentior, eo quod contra atque ipſe perhibet* [*Traité complet. de chirurg. ſecond. edit. Tom. quatr. obſerv.* 134. *reflex. pag.* 145. 146.] *egomet in cadaveribus obſervavi.*

Quin etiam per hos dies egregius juvenis Gregorius Marcuccius Profeſſor valde expertus, municeps atque amicus meus, Lutetia paucis ante menſibus reverſus, ſe non ſemel in horto regio audiviſſe retulit cl. Hunauldium in publicis ſuis chirurgicis, atque anatomicis lectionibus contra exiſtimatam vertebrarum luxationem ſermonem habentem.

judicio ſpinæ fractæ, quemadmodum dixi, revera non ſecus ſint indicia.

VI. At enim ſi ita res ſe haberet, nemini etiam num in conſpectum id unquam venerit? (*a*) Miror utique profeſſores præſertim veteres, vertebrarum, quam dixi, fracturam memoratis ſymptomatibus conjunctam nunquam meminiſſe, vel, ut apud quoſdam legitur, difficillimam reputaſſe; (*b*) quaſi luxatio, de qua una, *Vertebrarum corporis fractura parum vel nihil nota veteribus.*

(a) *Dum hæc Typis editurus eſſem, en cl. Laurentii Heiſteri Inſtitutiones Chirurgicæ primo a nobis viſæ ex germanico idiomate in latinum tranſlatæ, in quibus ſolertiſſimus Auctor vertebrarum luxationem deſcribens aperte ait*, neque enim prout ex accuratiori ſtructuræ, vel admirandæ commiſſuræ conſideratione pateſcit, penitus excidere Vertebra quædam niſi cum fractura . . . . poteſt. [*Inſt. Chirurg. Par. I. lib. III. cap. V. num. I.*] *vide ſimiliter loc. cit. num. 7., & 8. qua de re monere lectores meæ fidei eſſe duxi.*

(b) *Verducius Path. de Chirurg. Tom. Prem. pag. 328. cinq. edit.*

una, ut ita dicam, mentio ſit, atque ob eam curandam tot, & tanta peculiaria inſtrumenta in Chirurgiam invecta leguntur, explorata res eſſet atque evidens, nec unquam in cadaveribus ſecus videretur. Verum id ipſum, Sodales, comparo luxationi, quæ olim in vulgus appellabatur femoris, quam Ruyſchius in rebus anatomicis conſummatiſſimus detexit, (*a*) ac dein cl. Salzmannus medicus & anatomicus Argentoratenſium cel. confirmavit (*b*) eam nil aliud plerumque eſſe quam ejuſdem femoris in vicinia ſuperioris capitis in collo ſcilicet veram puramve fracturam.

Spinarum fracturam vertebrarum, Artuum Paralyſis nequaquam ſequitur.

VII. Nec ſat eſt earundem vertebrarum ſpinas frangi, ut memorata eveniant ſymptomata; etenim a mei municipe Dominico Gervaſio olim Chirurgo apud Lucenſes, [*c*] & a Joanne Bap-

(a) *Theſ. Anat. VIII. n.* 103. *Theſ. Anat. IX. num.* 44. 74.

(b) *Comment. Acad. Scient. Imper. Petrop. Tom. III. pag.* 275.

[c] *Delle Dilogazioni cap.* 11. *p. m.* 29.

Baptiſta Verducio Medico Pariſienſi [*a*] in his caſibus eadem ſymptomata deſiderari probe intelligo.

Porro juvat, Sodales, ut argumentum, ſeu certius ejus rei teſtimonium habeatis, tres non amplius [ne fuſior ſim quam par eſt] hiſtorias proponere; quas modo pollicitus ſum.

HISTORIA I.

Obiit decimo Cal. Junii anno 1736 in Noſocomio D. M. Conſolationis Romæ bajulus quidam quadrageſimum quintum circiter annum agens, non ple-

---

(*a*) *Loco citato pag.* 328. *Quam utique rem prælaudatum Laurentium Heiſterum non præteriiſſe cernitur:* quoties, *ait*, Vertebrarum aliqua vel ex lapſu, vel ex ictu, aliave cauſa externa, ſed ſine tamen medullæ in ſpina læſione fracta eſt; tum ſemper fere non niſi poſteriores ipſarum Apophiſes, vel acuta iſta Tubercula fracturam accepiſſe reperiuntur; ut proin ægroti parum inde, aut nihil fere periclitentur &c. [*loc. cit. cap.* VI. *n.*7.]

pleni habitus, attamen robuſti, qui ligna humeris geſtando ſuper ripam Tiberis Idibus Decembris cecidit, imo in Tiberim lapſus, quin aquis mergeretur parum abfuit.

Ad Noſocomium illico delatus magno frigore ac ſi febri correptus eſſet, obrigeſcere videbatur, & certe proximis diebus eum febri laborare evidenter patuit. Præterea in artubus inferioribus univerſis manifeſta paralyſis viſa eſt, quum ſenſu, & motu in iiſdem partibus eſſet omnino deſtitutus; imo nec mingere poterat, licet urina veſica diſtenderetur, nec alvum niſi parva ex glande ſubdita, vel manna propinata, vel ænematibus, & quidem difficulter egerere valebat. Brachia pariter ipſa ad motum haud valde prompta erant; hunc in modum extracta aliquoties ope catheteris urina, ab Idibus Decembris ad decim. Cal. uſque proximi Januarii vitam produxit.

Aperto abdomine veſica flogoſi obſeſſa perſpecta eſt, atque in ejus cavitate parum denſati ſanguinis puriſque, fortaſſe ex cathetere male adhibito, detinebatur. Ea vero parte, in qua erat de læſione ſuſpicio, ſpi-

na

na dorſi videlicet jam e cadavere ablata, & ad examen diligenter vocata, quarta dorſi vertebra in corporis ejuſdem facie, thoracis nimirum verſus cavitatem, ligamento exteriori amoto, fracta, ac pene ex majori parte uſque ad medullam ſpinalem contrita reperta eſt, imo extra alias tumore plane conſpicuo prominebat.

Medulla vero ſpinalis tam ſupra, quam infra hanc vertebram ad intervallum aliquod expedita, ac viſu tactuque perſcrutata, nec veſtigium quidem læſionis præbuit. Secta tandem dura meninge, in conſpectum venit portio ſpinalis medullæ, quæ fere liqueſcebat, inter hanc, & piam ad locum perfractæ vertebræ adamuſſim reſpondens.

Quum itaque hæc medullæ portio fuerit ſubtracta, eadem medulla ſpinalis pia adhuc Matre circundata, & quæ candida ſpectari ſolet, livorem ex una parte contraxiſſe cernebatur, quem livorem cl. Leprottus una mecum ſcalpello adhibito, pia matre diligenter amota, nil aliud eſſe comperit quam ejus ſanguineum vas medullam pervadens, aliquantulum prolatum, & diſciſſum; quod plane oſtendit eandem

dem medullam inibi compreſſam fuiſſe. (*a*)

HISTORIA II.

Homo quidam ruri degens quadraginta circiter annis natus, ad idem Noſocomium D. M. Conſolationis Junii Cal. latus eſt. In artubus inferioribus paralyſi tenebatur, cum ſenſu, & mo-

(a) *Cl. Gulielmus de la Motte, de quo ſupra mentio facta eſt, in tam levibus ejus generis lapſibus medullam ſpinalem tantummodo concuſſionem pati, eaque una cauſa in artubus paralyſim accidere aperte tradit. Verum conjecturis tantum fretus id omne aſſerit; & ſi ad ſectionem cadaverum, de quibus eidem ſermo eſt, forte fortuna veniſſet, læſionem in eadem Medulla a vertebra quadam quodammodo fracta obortam probabiliter inveniſſet: etenim quando magis medulla ſpinalis concutiatur oportet, quam cum vertebrarum ſpinæ, vel ex laſpu, vel ex ictu aliquo franguntur? Et tamen nihilominus ſi quando hoc accidit, nihil incidit poſtea, ut dictum eſt,* [*num.* VII:] *ſpinali medullæ mali.*

& motu omnino careret: præterea, nec urinas reddebat, nec ex alvo ſtercora; ſanguinem expuebat, & difficultas reſpirandi aderat.

Interrogatus reſpondit, ſe de rupe quadam dejeciſſe, ne in ſatellitum poteſtatem veniret. Tertio decimo Calendas Julii defunctus eſt.

Corpus ad thoracem livore inficiebatur, & muſculus pectoralis contuſus viſus eſt. Cavitate recluſa coram Franciſco Ruſſeo aliiſque, non parum ſanguinis viſum eſt ſuper diafragma, cui pulmones inhærebant, conſiſtentis.

In inveſtigatione vertebrarum binæ coſtæ, quinta ſcilicet, & ſexta ad articulationem cum iiſdem vertebris fractæ ita erant, ut membranæ ipſæ ibidem eſſent diſciſſæ; (*a*) corpora vero quintæ, & præcipue undecimæ dorſi

(a) *Ejus rei indicium eſt, ut probe animadvertit Cornelius Celſus ſanguinem expuere:* At ſi tota coſta effracta eſt, caſus aſperior eſt. Nam & graves inflammationes, & febris, & ſuppuratio, & ſæpe vitæ periculum ſequitur, & ſanguis ſpuitur. [*Tom. ſecund. Cap. IX.*

dorſi vertebræ, quæ tumentia quamprimum viſa ſunt, præter proceſſus ſpinoſos earumdem ad baſim perruptos, fracta comminutaque uſque ad medullam ſpinalem, exceptis portionibus ad cartilagines ligamentoſas proximis, poſtquam fuerunt ligamento exoluta exteriori, comperta ſunt, ſuo vero loco vertebræ nil quicquam motæ erant.

HISTORIA III.

Obiit circa initia proximi Januarii hujus anni 1740. poſt triginta dierum valetudinem in hoc D. M. Mortis Noſocomio ruſticus quidam quadrageſimum circiter annum agens, cujus femina viſa ſunt reſoluta una cum urina ſuppreſſa: Hæc eadem ſymptomata poſtquam ex arbore lapſus eſſet, illico ſuperveniſſe tradit. Non ſemel etiam faſſus eſt ſe rectum cecidiſſe. Ante obitum gangrena, ſeu potius ſphacelum ne dum ad oſſa ilei & cocigis, ſed etiam ad utriusque natis initium factum eſt, veluti in ſpina luxata cl. Petitus evenire perhibet. (*a*) Spi-

---

(a) *Traité. des Malad. des oſ. Tom. Prem. cap.* IV. *pag.* 101. 102.

Spinæ luxatione miſerum illum teneri in vulgus credebatur, veruntamen eadem coram cll. noſtris ſodalibus Galeazio, & Laghio perſcrutata, nullibi luxatio viſa eſt; verum profecto in corpore poſtremæ dorſi vertebræ fractionem offendi: attamen haud parum laboraſſe antequam læſionem in vertebra invenirem, inficias ire non poſſum: etenim primo in univerſa ſpina nil quicquam apparuit, cum aliis in cadaveribus corpus fractæ vertebræ, uti jam audiviſtis, in tumorem elevaretur. Quiddam porro non omnino e natura perſpicere circum eandem vertebram viſus ſum; quod cauſa fuit, ut a ſingulis aliis, quibuſcum ſtricte annectebatur, ſejungerem; tum demum vinculum illud cartilagineum vertebris interjectum, (*a*) vitiatum, & parum corruptum in conſpectum venit: quo vinculo amoto, totaque vertebra denudata, ejus corpus fractum, vel citius rimis quibuſdam fiſſum, ut videre eſt Sodales,

(a) *De hoc eodem vinculo vid. cll. viros Morg. Adv. Anat.* III. *Animad.* L. *Jo. Georg. Du Vernoi Comm. Acad. Scient. Imp. Petrop. Tom.* VI. *p.* 281. *edit. Bon.*

Tab. III. Fig. I. les, comperi, interque rimas eadem diploes viſa eſt, ut etiam num cernitur. Præterea fruſtum ejus vertebræ ab aliis fere ſemotum, ut cernere eſt, intra canalem medullæ ſpinalis paulo ſupra ipſam protendebatur, quo loci non parum læſam eandem animadverti.

Narranda hæc omnia, Sodales, eſſe credidi, non quo curatio ejus rei ulla ſit, ſed ut res a Chirurgis, ad quos ejuſmodi ægrotantibus mederi in vulgus ſpectat, indiciis cognoſceretur, peculiarique fracturæ nomine merito appellaretur, & non putarent homines ſibimetipſis eos defuiſſe, ſiqui ſic aliquem, ut profecto contingere ſolet, perdidiſſent. [*a*] Sed his demum dimiſſis ad alia properemus.

Spurii Aneuryſmatis hiſtoria. VIII. Siquidem de partibus morbo affectis ſermonem habeo, non alienum cenſeo, Sodales, vobis exponere

[a] Simulatque [*inquit cl. Heiſterus*] corpus vertebræ, & ſic ſimul medulla quæ in ſpina eſt, ſimul læſa, disrupta, vel colliſa per vim aliquam externam fuit, rigidæ protinus, ſive

nere quid obſervaverim in villicæ cujuſdam cadavere, quæ ſuperioribus diebus in D. M. mortis Noſocomio repente mortua eſt.

Infelix ergo Mulier circa veſperam ad Noſocomium delata, de ſtomachi ingenti dolore conquerebatur; lactans erat, habituque corporis pleno & robuſto donata: ſcalis ſe lapſam eſſe ſuperiori anno faſſa eſt, mox morte obiit repentina.

Cadavere inſpecto, ſingulisque cavitatibus luſtratis, intra abdomen jecur inter & ventriculum tumor haud parvæ molis, licet extrinſecus nihil promineret inflatio, compertus eſt. Eum tumorem binæ arteriæ pervadebant, harumque altera cavitatem tumoris recta introibat, ſtatim ut eundem attingebat, perinde ac ex eadem ortum traheret; altera vero tumoris *Tab. I. Lit. L.*

ſive immobiles efficiuntur ſingulæ iſtæ brachiorum, pedum atque viſcerum partes, quæ Vertebris illis ſubjectæ ſunt. Itaque mirum haud eſt, ſi vel ipſa quoque mors, nunc quidem celerius, nunc tardius inſequitur, prouti nempe vel gravior, vel mitior læſio contigit [*loc. cit.*]

inter parietes, priuſquam ejus cavi-
Tab.II. tatem iniret, paulo excurrebat. Me-
Lit. a.a. ſenterium, meſocolon, tum etiam omentum intacta viſa ſunt: ne multis, tumor eo duntaxat loco detinebatur, quem pertranſeunt arteriæ a celiaca, atque hepatica ortum habentes, dum ventriculum verſus progrediuntur; quo loci nil aliud videri ſolet, quam peritonæum ipſum, cellularis Membrana, vel quicquid aliud ſit compages, ſeu vincula illa, quæ vaſa eadem, parteſque proximas mirum in modum inveſtiunt, & circumligant. Ab hepate ſine magno labore tumor ille avulſus eſt, non item a ventriculo; etenim non modo eidem ſtricte adhærebat, verum etiam intus, ut ita dicam, extendebatur, ita ut foramen communicationis utriuſ-
Tab. II. que cavitatis, tumoris videlicet, &
Lit. E. ventriculi, intercederet. Intra ventriculum ſanguis ad quatuor libras [quod utique mortis repentinæ cauſa fuit] continebatur, ex eo tumore abs dubio illuc transfuſus. Cæterum membrana craſſa & valida ad nigrum lividumque vergente cingebatur: materia vero intus contenta nil aliud quam ſanguinei grumi in complura ſtrata ſeu curvas lamellas diſpoſiti,

quo-

quorum unus, aut alter ſubſtantiam polypi aliquantiſper æmulabatur. Præterea veſicæ variæ magnitudinis grumos interſperſæ cernebantur, quas lamellæ item ſanguineæ, ceu ſtrata cæparum inſtar complectebantur, humorem fere limpidum continentes, qui ad ignem turbidus evadebat, ſpumeſcebat, & tandem in auras evolabat. Veſicæ iſtæ nullibi annectebantur, & facillime rumpi patiebantur, quippe quæ membrana tenuiſſima, & debili conſtabant.

Cl. ſodalis noſter Petrus Paulus Mulinellus Medicus & Chirurgus doctiſſimus, atque experientiſſimus ſimiliter in tumoribus ejuſmodi veſiculas animadverti perhibet, eaſdemque vel ipſi profeſſores quandoque in tumoribus ſe obſervaſſe fatentur. [*a*]

In ipſo ſtatim limine, dicam aperte, Sodales, quod ſentio, quomodo is tumor initium cæperit, non probe novi: opinor tamen, quantum conjectura aſſequor, ex arteriis ejus cavitatem ſubeuntibus, vel ex earum altera quoquomodo debilitata, vel eroſa

[a] *Muis obſ.4. Dec.3. Amſtel.1695.*

primum fluxiſſe [*a*] ſanguine effuſo & coacervato in membrana celluloſa, ac idcirco ſpurium *aneuryſma* dicendum fore, (*b*) cum univerſa tumo-

[a] *Vid. Lanciſium de Aneuryſmatibus in Gen. cap.* v. *atque alibi, ubi cl. auctor quamplures recenſet cauſas, quibus arteriæ infirmantur, & franguntur.*

(b) *Ejuſmodi* Aneuryſma *ab aliqua potiſſimum externa cauſa profeſſorès oriri perhibent: ſcribit enim inter cæteros celeb. Jacobus Douglaſſius:* Aneuryſma Spurium eſt, quod a cauſa externa *e. c.* vulneribus, aut in ſanguinis miſſione, punctùris &c. oritur, ubi tumor provenit a ſanguine effuſo, & coacervato in interſtitiis muſculorum proxime ſub ipſa cute, vel ubicumque ſibi proprium reperit, & efformat receptaculum, quod ſemper in membrana veſiculari erit; nam ſubſtantia hæc pro fundamento cyſti illi inſervit, in qua effuſus humor reperiri ſolet &c. *Deſcript. Periton. &c. Lugd. Batav.* 1737. *pag.* 38. *Pulcherrimam* Aneuryſmatis *ejus* generis *obſervationem viciſſim legiſſe memini in Actis*

moris moles, tam continens ſcilicet, quam intus contenta materies, ſi quid ego judico, id omne mirifice oſtendat; niſi tamen memoratæ obſtent veſicæ, quæ porro [ut reor] tanti non ſunt faciendæ, ut tumor ſecus vocari me-

---

Actis Edimburgenſibus, quæ eſt, ni fallor, cl. Monroi anatomiæ in illa celeberrima univerſitate Profeſſoris, cui Aneuryſmati *pro cyſti inſerviebat aponeuroſis cubiti muſculi bicipitis.*

In uno item pediſſequo ex nobili Romana domo Molara *Aneuryſma ei uſquaque ſimillimum, quod cl. Douglaſſius memorat, una mecum Romæ obſervarunt Franciſcus Ruſſeus, Fulvius Filippanas, quo homo ægrotans Medico utebatur, aliique, in quo ſaccum* Aneuryſmatis *exortum vidimus a ſanguine ex anguſto Aortæ foramine non longe ab ortu Celiacæ arteriæ elapſo, atque in membrana veſiculoſa, ſeu celluloſa, peritonæi externa lamina vulgo dicta, effuſo & coacervato.* Nec ab eo Aneuryſmate *diſpar [ut puto] neque diſſimile eſt illud idem, quod Rimini animadvertit cl. Leprottus una cum viro doctiſſimo Jano Planco (vid. Acad. Inſt. Scient. Bonon. Comment. &c. pag. 347.)*

reatur, ſicut non faciunt, quotieſcumque intra alios tumores obſervantur, nomen, quo vulgo appellari ſolet, eoſdem mutare.

Eroſivum principium quoddam inter cauſas *Aneuryſmatum* cl. Lanciſius [*a*] atque ſolertiſſimi ſodales noſtri Morgagnus, (*b*) & Leprottus [*c*] jam poſuere; prætereaque Romæ relatum memini Eminentiſs. Cardinalem Buoncompagnum repentina morte correptum, atque in ejus cadavere pericardium ſanguine turgidum obſervatum eſſe ab arteria pulmonali corroſa transfuſo; quam in eo corroſionem (qui podagra laborare ſoleret) ab aliquo proin eroſivo principio podagrico ortam eſſe crediderunt. Ut ſanguis ſtagnans acrimoniam, ſeu principium corroſionis adipiſcitur, ita non mirum ſi ventriculi parietis, cui tumor connectebatur, dilaceratio, atque hiatus inventus eſt; quandoquidem per hanc

ean-

[a] *De Aneur. in Gen. Lib. Prim. Prop.* v. *ibid. Lib.* 2. *cap.* III. *prop.* XIX. *& ſeq.*

(b) *Adver. Anat.* II. *Animad.* XLI.

[c] *De Bon. ſcient. & Art. Inſt. Atque Acad. Com. pag.* 347.

eandem acrimoniam, quæ ſtagnanti cruori contigit *internæ muſculi laminæ* [notante Jacobo Douglaſſio] [*a*] *ſenſim, & ſenſim roduntur & conſumuntur:* præterea juxta ſaccum *aneuryſmatis* oſſa corrodi animadvertit Lanciſius, & Morgagnus [*b*]; quod item Romæ a me ipſo cum Leprotto, Franciſco Ruſſeo, & Caſignolio non ſemel viſum eſt: quare ſanguinis extravaſatio lethifera merito appellari ſolet.

IX. Supereſt modo Sodales cll., ut vobis proponam herniam peculiari nomine cruralem vocatam, quam nuper in vetula volvulo affecta inſpexi, non quin certo ſciam hanc eandem obſervationem per hoſce annos haud eſſe ſingularem, nec affectionem unquam viſam, quum ſit penes omnes, ut ita dicam, nunc jam notiſſima: nihilo tamen ſecius iterum commemorare utilitatis ſaltem eſſe opinor, ne Chirurgiæ profeſſores haud omnino periti, in errorem lapſi, quippe quæ ſub ſpecie Bubonis, vel alius tumoris iisdem imponere va- *Herniæ Cruralis hiſtoria.*

 leat,

[a] *Deſcrip. Perit. pag.* 39.
[b] *Locis cit.*

leat, (*a*) ſcalpello idcirco audacter ægrotantis pernicie incidant; quemadmodum miſerando homini a me diſſecto accidiſſe pro certo habeo, cujus hiſtoriam cl. civis veſter, noſterque ſodalis typis modo mandavit Cajetanus Tacconus (*b*) pariter cum duplici Icone, quarum primam (cum eſſet vir cl. multis occupationibus impeditus) egomet quoque, ut clarius atque evidentius Inteſtini egreſſus extra abdomen cerneretur, delineandam curavi. Porro autem non deſunt per hos dies protervi homines, qui temere ſeu oſcitanter affirmare ſolent eam cruralem herniam meram eſſe profeſſorum excogitationem, tanquam ſi daretur hic ſuſpicandi locus tantos quodammodo hallucinari profeſſores in dies, ut ita dicam, eam obſervantes; unicuique enim in anatomicis ſectionibus vel mediocriter verſato, arcus ſic dicti muſculorum abdominis probe cogniti ſunt; ita ut per-

(a) *Laurent. Heiſt. Inſtit. Chir. &c. par.* 11. *ſect.* v. *cap.* 118. *n.*11. *Cajetan. Taccon. de raris quibuſdam Hep. alior. Viſc. Affect. obſ. pag.* 27. *Bonon.* 1740.
(b) *Loc. cit.*

perfacile, & nullo negotio animadvertere eſt, ſi ſub eis ſcilicet corpus quoddam, velut eſt e. c. inteſtinum, præter quam vena, atque arteria cruralis una cum nervo, & muſculis Iliaco & Pſoas ſic vocitatis tranſeundo, extra cavitatem abdominis progrediatur. Inteſtinum ergo in hoc caſu peritonæi Membrana aliquantulum protracta, & elongata tanquam in peculiari ſacco concluſum non ad Inguen per annulos muſculi obliqui deſcendentis, ſed ſub arcus modo dictos, ut egomet intuitus ſum, muſculorum abdominis, intra celluloſæ membranæ productionem (*a*) una cum vaſis cruralibus &c. prope inguina in coxæ ſuperiorem, & exteriorem partem delabitur. Cæterum de ejus commoda, & æqua curatione conſulere convenit cl. Heiſterum. (*b*) Sed his morboſis affectionibus miſſis, ad reliqua quæ ſupra propoſita ſunt, progrediamur.

X. Non

(a) *De hac eadem productione vide etiam cl. Anonymum auctorem Gallum (Tom. ſecond. pag.* 28. *Abregé de l' Anat. du corps Humain &c. Par. M.* * * * *Chirurgien. Juré de Paris &c.* 1734.)*Dougl.deſcr.Per.* (*b*) *Cap.cit.n.*4.

Nonnulla de inſertione Muſculi tranſverſalis Abdominis ad Lumborum vertebras.

X. NOn convenit inter Anatomes profeſſores de inſertione muſculi tranſverſalis abdominis ad lumborum vertebras: pars enim ſcribunt ad tranſverſos earum proceſſus tantummodo inſeri; nonnulli e contra tam ad hos, quam ad earundem ſpinas, ſiquidem ſecundum eoſdem profeſſores ab ejus tendine oritur vagina, qua muſculi lumborum quadratus, ſacrolumbaris, & dorſi longiſſimus, qua invicem confunduntur, concluſi ſunt.

His ergo Anatomicis primo aſſentiri non poſſum; nam lumborum quadratum extra vaginam, qua dorſi longiſſimus, & ſacrolumbaris circumcluduntur, & coercentur, locatum eſſe certo ſcio. Præterea clara, & diſtincta ejus inſertio in vertebrarum ſpinis nuſquam cernitur, ſicut plane in proceſſibus earum tranſverſis videre eſt, quum tendo ejuſdem muſculi ab aponeuroſi dorſi latiſſimi nullatenus ſine laceratione dividi poſſit: fit enim ubi ſe mutuo occurrunt, ſtrictiſſima unio, quæ eſt tanquam diagonalis ſupra lumborum quadratum. Hæc ergo eadem vagina ab aponeuroſi dorſi latiſſimi, vel citius ab hac eadem,

at-

atque altera tranſverſalis abdominis invicem arctiſſime complexis, ſi recte novi, progignitur.

De Ligamentis Muſculorum Abdominis Falloppii, ſeu Poupartii vulgo dictis.

XI. Similiter iis non conſentior, qui ligamentum Fallopii, ſeu Poupartii appellatum, ab aponeuroſi muſculi obliqui deſcendentis quodpiam diſtinctum eſſe tradunt; fruſtra enim in quamplurimis cadaveribus (quicquid ſibi dicat contra cl. Laurentium Heiſterum vir cæteroquin doctrinæ ſingularis Albertus Nicolaus) (*a*) omni tempore quæſivi: quamobrem opinionem præcl. ſodalis Morgagni uſquequaque ſequor, qui omni aſſeveratione affirmat, (*b*) quod dicunt Poupartii ligamentum, unum & idem eſſe cum limbo tendinis muſculi obliqui deſcendentis, ſeu externi; qui tamen limbus arcum faciendo in mulieribus majorem, minorem in viris (quo fit, ut Mulieres herniæ crurali, de qua jam mentio facta eſt, [*c*] ſint magis obnoxiæ quam viri) [*d*] liga-

(a) *De direct. Vaſor. pag.* 18.
(b) *Adver. Anat.* III. *Animad.* I.
[c] N. IX.
[d] *Anon. Auct. Gallus de quo dictum*

gamenti vicibus fungitur. Non diffiteor præterea, quandoque animadvertiſſe *elegantem* fibrarum ſemicircularium *faſciculum* circa annulos muſculi obliqui externi luxuriantem, ut laudatus Albertus Nicolaus animadvertit. (*a*) Verum continuationem cum fibris carneis muſculi obliqui externi, non vero proprium, & peculiare ligamentum eas eſſe, niſi forte me feſelli, deprehendi.

Nonnulla de Muſculis Cervici, dorſo & Lumbis inſervientibus, præſertim vero de Cervicis transverſo ſic dicto.

XII. Difficillimæ indaginis eſſe muſculos cervici, dorſo & lumbis inſervientes Anatomici haud inferioris ſubſellii tradidere. [*b*] De his ſingulis in præſens loqui haud mens eſt, verum de his tantum, qui ſublatis dorſi latiſſimo, ſerrato ſplenioque in conſpectum veniunt; in eis autem ſecandis totus occurrit labor, & difficultas. Nec itidem omnia ediſſeram ad eos

---

ctum eſt num. IX. *Abregé de l'Anat. &c. Tom. ſecond. pag.* 22. *ubi legitur præterea ejus cl. auctorem non agnoſcere, pro peculiari ligamento illud idem, de quo modo quæſtio eſt.*

(a) *Loc. cit.*

[b] Les Muſcles [*inquit cl.* Winſlo-

eos ſpectantia, quum de quibuſdam duntaxat verba facere præſertim velim.

Ex profectoribus, quos ego legerim, nemo melius præſtantiſſimo Winslowio eorum muſculorum deſcriptionem tradidit, quem ideo unuſquiſque conſulat. Poſitus ſolummodo in cadaveribus nunquam perſpiciendum ſe præbuit, quem muſculo cervicis tranſverſo idem aſſignat; ait enim vir cl. eum muſculum, magnum inter complexum, aliumve parvi complexi nomine inſignitum, ac præterea ſu-

---

slowius] qui ſe trovvent le long de l' Epine du Dos, & que l'on rapporte par la plus grande partie aux mouvemens du Col, du Dos, ou des Lombes, ont touiours paru très-difficiles à bien diſſequer, & à décrire avec netteté, même aux plus celebres Anatomiſtes principalement ceux du Dos.

Tous ces muſcles ſont très-compoſés, multipliés, & entrelacés, de maniere, qu' il faudroit en faire un nombre beaucoup plus grande, que celui des Vertebres, ou les réduire à un très-petit nombre des Muſcles longs &

ſupra inſertiones ejuſdem magni complexi locatum inveniri (*a*).

At quotieſcumque opportuna ſecandi cadavera facultas ſe obtulit [non enim omnia, vere dicam, ad eam habendam obſervationem ſunt maxime idonea] eundem tranſverſalem muſculum partim inter ſacrolumbi ſuperiorem partem (*b*) (quam Diemerbroeckius cervicalem deſcendentem, Steno ſacrolumbi acceſſorium, Winslowius tandem tranſverſalem gracilem vocat *c*) & parvum complexum cum tranſverſis vertebrarum proceſſibus conjunctum, partim vero inter eundem parvum complexum, & dorſi Longiſſimum, vel quandoque, ex parte tantum, inter magnum complexum, & eundem dorſi Longiſſimum (toties quoties ejus inſertio magis inferius, quam ſit eadem parvi complexi,

& entrecoupés en differens endroits. *Expoſit. Anat. Tom. ſec. num.* 638. *pag.* 189. *Traité des Muſcl.*

(a) *Loc. cit. num.* 667.

(b) *Vid. Morgag. Adver. Anat.* II. *Animad.* XV.

(c) *Loc. cit. pag.* 198. 205., *num.* 669. 689. *Traité des Muſcl.*

xi, extenditur) quarundam vertebrarum dorſalium ad tranſverſos proceſſus inſertum, locatum eſſe evidenter comperi, quæ tamen omnia ex Iconiſmi inſpectione, & Figurarum explicatione melius fortaſſe percipientur. *Tabula III Fig. 11. Lit. G.G.G.*

XIII. Muſculum magnum dorſi ſpinoſum, vulgo ſemiſpinatum, ut Winslowius opinatur, (*a*) perperam vocatum, in dorſi longiſſimo inſigi, Anatomici, & nuperi, & antiqui memoriæ mandarunt; verum in altero ex ejus craſſis tendinibus ita inſigitur, ut citius ex mea ſententia uterque pro unico pinnato Muſculo accipi mereatur; atque Anatomiæ profeſſores inſertiones tendinum ejus muſculi ad ſpinas poſtremæ dorſi vertebræ, & primæ, alteriuſve lumborum ſæpius confundere animadverti, cum utrique ex his muſculis adſcribant. Nec reticendum hos eoſdem tendines bifidos quandoque obſervari, inferique tam in ſpinas, quam in tranſverſos earundem vertebrarum proceſſus, ſacrum muſculum coercentes. *De ſemiſpinato, ut vocant, dorſi Muſculo.*

XIV.

(a) *Loc. cit. num. 706. pag. 209.*

Nonnulla de dura Meningis ſinibus, eorumque inter ſe, & quadam vaſa venoſa communicatione.

XIV. Jam porro ut ad ſinuum duræ Meningis deſcriptionem veniamus, nonnulla Sodales tantummodo ſeligam [cum Anatomici, præſertim nuperi de eis multa ſatis dixerint] quæ vel nullatenus, vel non ſatis explorata mihi videntur. Injecta igitur viridi cera, vel aliter colorata in alteram ex internis jugularibus, aliis ſingulis utrinque vinculo adſtrictis, ſinus, quos adhuc profeſſorum induſtria in Anatomen invexit, eos præſertim, qui Sellæ turcicæ adjacent, receptacula ſcilicet vulgo dicta Vieuſſenii, eadem cera impleri non ſolum hic Bononiæ, ſed etiam Romæ una cum viro cl. Archiatrorum comite Antonio Leprotto pluries conſpexi, quemadmodum Ortlobio [*a*] (quicquid contra dicat Rydlejus (*b*) aliique) & Brunnero [*c*] accidiſſe animadverto. Eadem hac item cera non ſinus ſolummodo, ſed etiam angularem venam (*d*) & alias quamplures intra ocu-

[a] *Hiſt. Part. diſ.* 20.
(b) *Anat. cereb. Cap.* v.
[c] *Diſ. de Gland. Pit. cap.* VI.
(d) *Hanc eandem venam per tertium*

oculorum orbitam diſperſas, cl. Santorini emiſſaria, truncum venæ occipitalis, ejuſque auditus organo inſervientis celeb. olim noſtri ſodalis Valſalvæ, venam vertebralem, ſinus item vetebrales eandemque jugularem externam &c. impletas ſæpius obſervavi: quod plane oſtendit inter hæc omnia vaſa mirificam eſſe communicationem.

XV. Cum hæc ſodales inquirerem, atque jucundo ſane aſpectu una cum viro ampliſſimo Antonio Leprotto conſpicerem, ecce tibi novus occurrit ſinus, ni quis tamen quarti emiſſarii nomine ſecundum Santorini inſti- *Novi, & peculiaris ſinus deſcriptio.*

C

---

tium cranii foramen, latam ſcilicet rimam foramen lacerum vulgo dictam, conclavi cerebri exeundo, ſuper exiguam oſſeam Apophyſim extenſam inveniri ex nemine didici. Eam venam cl. viris Rydlejo (Anat. Cereb. Cap. V. pag. 47.) & Santorino [obſ. Anat. cap. III. §. XXVIII.] *probe cognitam eſſe abunde patet, quorum alter merito emiſſarii, alter vero reductorii vaſis in glandulæ pituitariæ circularem ſinum, minus recte nomine donavit.*

ſtitutum potius appellari velit, quem huc uſque ab Anatomicis haud detectum opinor, eo quod in loco ſatis arduo ſitus eſt, videlicet utrinque inter Apophyſim, quam dicunt Sphenoidalem, atque Os petroſum in parte interiori ſubter inferiorem ad unguem ſinum eidem oſſi petroſo adſcriptum, vel, ut melius dicam, ſubter caveam, ſupra quam hic idem excurrit ſinus, ubi ſubſtantia quædam invenitur, quæ inter cartilaginem, & ligamentum fere media eſt. Hicce vero ſinus nihilo ſecius excurrit ſuper Os ejuſdem Apophyſis ſphenoidalis, cavea etiam ibidem quantumvis leviter inſculpta indicante; verum tum ſolummodo non alias apparet, cum cera eundem pervadit, quandoque verò ob nimium longum iter, vel loci difficultatem nequaquam illuc eadem pervenit.

Modus tenendus in inveſtigatione dicti novi ſinus. XVI. Initium ergo ejus ſinus inter carotidem, & ſellam equinam, ſeu turcicam inveniri ſolet, ſinis vero in jugulari prope ejus diverticulum communi plerumque hiatu cum ſinu inferiori Oſſis petroſi: quanquam anonymus auctor Gallus perperam hunc poſtremum ſinum ad finem lateralium de-

deſinere exiſtimet. [*a*] In tranſitu canaliculum emittere ſolet, qui ſinum vertebralem influit pone ejus introitum in undecimum cranii foramen; quo cum ſinu vertebrali eundem deſinere communi itidem hiatu prope jam dictum diverticulum quandoque etiam obſervavi.

Qui vero noſtrum hunc novum ſinum facilius, atque expeditius invenire cupit, levem caveam ab unione Apophys petroſæ, & ſphenoidalis progenitam, in qua ſinus inferior, ut dixi, (*b*) ejuſdem oſſis petroſi excurrit, frangat oportet uſque eo dum cera appareat; tum enim ſeta utrinque intromiſſa, eo tandem pervenitur (oſſa hoc interim ſpatio rumpendo quantum oportet) quo dictum eſt. Non diffiteor cæteroquin, quin ſit opus valde laborioſum, verum ex loco ipſo, ut plane patet, tota oritur difficultas.

XVII. Verum non modo inter utrumque eorum ſinuum communicatio animadvertitur, ſed etiam inter ex his alterum, vertebralem ſcilicet, & ve- *De ſinuum multiplici inter ſe communicatione.*

[a] *Abregé de l' Anat. &c. Tom. Second. pag.* 229.

(b) *Num.* xv.

venam item vertebralem : rurſus autem vidiſſe memini alterum canaliculum inter memoratum ſinum, & ramuſculum ipſius internæ jugularis communem. Prætereo communicationem unicuique probe cognitam, modo ſimplicem, modo duplicem ſinuum inferiorum oſſis petroſi ſuper Apophyſim Sphenoidalem, aliamve eorundem receptaculorum per glandulæ pituitariæ binos circulares ſinus, quorum alter Rydlejo merito tribuitur, (*a*) atque etiam per alterum tranſverſum ſinum ſub eandem pituitariam glandulam, per bina rotunda foramina inter ſellæ turcicæ proceſſus Clinojdes. [*b*] Nec ſilentio hic loci prætereunda mihi videtur communicatio, quæ aliquando obſervatur per tranſverſum canalem, notantibus cl. viris Morgagno,

(a) *Anat. Cereb.&c. Cap.*v.*pag*.44.

[b] *Hos proceſſus anteriores videlicet & poſtriores per oſſeam columnam, ſeu apophyſim continuos quandoque evadere deprœhenditur, foramen veruntamen late patens ob eam rem utrinque relinquendo; quæ utique res cl. Winſlowium non prœteriiſſe mihi videtur. [Exp. Anat. Traité des os ſecs n.*234.]

gno, (*a*) atque Heiſtero, [*b*] lateralium ſinuum: tam provida fuit meo judicio natura, ut ſanguis ex cerebri conclavi nullo non tempore per alteram viarum efferatur, ſi quando accidat, ut altera intercludatur.

De Receptaculis ad Sellam Equinam, de Carotide & Nervis intra eadem contentis.

XVIII. Cæterum hoc novo & peculiari ſinu receptacula donata eſſe cenſeo, quod ſanguis eis facillime per quamplures vias efferri poſſit: etenim præter internam Carotidem, atque initium Nervi intercoſtalis, (*c*) quatuor præterea nervorum paria, reſeratis deſuper receptaculis, videlicet tertium, quartum, quintum & ſextum ibidem in conſpectum dantur, qui omnes natant,

(a) *Adv. Anat.* VI. *Animad.* I.

[b] *Compend. Anat. Edit. Tert. Veneta not.* 48. *pag.* 323. *Fig.* 32. *Tab.* VII.

(c) *Illuſtres ex Regia Scient. Academ. Pariſien. Profeſſores Wınſlowius & Petitus a communi Anatomicorum judicio diſceſſere, Nervum Intercoſtalem intra receptacula nequaquam initium, citius vero finem facere affirmantes. Vid. expoſit. Anat. Traité des Nerfs n.* 357. *& ſeq. Hiſt. de l' Acad. Roy. de Scien.* 1727.

tant, ut unicuique ſatis notum eſt, in ſanguine eorundem receptaculorum; ita ut ſi ei ſanguini aliquid eſſet moræ, detrimenti ſane iiſdem ac per conſequens toti animali œconomiæ non parum accidere poſſet.

Novus excretorius canaliculus infundibuli ſic dicti Carotidis.

XIX. Nec reticendum mihi videtur ſodales ſuper eum novum ſinum adhuc alterum canaliculum eſſe, quem ſuperioribus diebus prope e receptaculis detexi, oſtendique cl. noſtro ſodali Galeazio. Huic ergo canaliculo haud intra receptaculorum foveam initium eſt. verum paulo infra ex illa Carotidis infundibuli ſpecie exterius; quam ſpeciem infundibuli circum carotidem intra canalem oſſeum machinata eſt natura, & ab uno Santorino, quod ſciam, deſcriptam; (*a*) deſinit vero cranium pervadendo in illa vaſorum implicatione, ſeu cavernoſa ſubſtantia, pterigoidem externum muſculum ſuperextenſa, a cl. Santorino ſuorum emiſſariorum *Diverticula* nuncupata: (*b*) quam vaſorum implicationem venæ jugularis externæ propaginem eſſe non ſemel animadverti.

XX.

(a) *Obſ. Anat. Cap.* III. §. XXVI.
(b) *Loc. cit.* §. XXX.

XX. Quamvis igitur hic idem canaliculus continuo, forſan ob defeƈtum ceræ, minime occurrat, nihilo tamen minus conſtantem eſſe autumo, eo quod ex quamplurimis injeƈtionibus conjeci intra memoratam ſpeciem infundibuli ſanguinem ex receptaculis deſcendere, velut etiam ſibi perſuaſum habuit Santorinus, [*a*] ex quo infundibulo ſanguis iſte non niſi per eum canaliculum tum inde efferri poteſt; dummodo tamen intra receptacula de integro haud retrogrediatur, quod contra naturæ inſtitutum, niſi multum ego fallor, fore profeƈto cenſeo.

De ejusdem Canaliculi uſu.

XXI. Intra receptacula prope hiatum ſinuum ſuperiorum oſſis petroſi unam vel alteram ex iis venis confluere inspexi, quæ cerebrum ſupra eadem receptacula extans, aut propter, perreptant: quandoque vero luculenter animadverti alteram ex eis venis inter duræ meningis ſubſtantiam ſive inter utranque ipſius laminam, ubi eadem receptacula contegit, ſerpendo, alterius Santorini emiſſarii hiatum ſine

Quædam Cerebri peculiares venæ Receptacula influentes.

 ulla

[a] *Loc. cit. cap.* III. §. XXVI.

ulla communicatione cum ipſis receptaculis facile ingredi. (*a*)

Num in Rydlei ſinu ulla illabantur venæ.

XXII. Quas vero Cheſeldenus Anglus pinxit venulas in Rydlei circularem ſinum confluentes, ut in ejus anatomicis Tabulis delineatas vidiſſe memini, nec ſemel animadverti, nec quemquam alium animadvertiſſe intelligo, ita ut commentitias profecto eſſe opiner.

De ſinu ad duræ Meningis proceſſum inter Cerebelli Emiſpheria ſecundum Duverneyum.

XXIII. Sicut quosdam graviores Anatomicos ab aliis diſſentire invenio in ejus ſinus deſcriptione, atque uſu, qui in duræ meningis proceſſu cerebellum fere in duo emiſpheria dirimente, ſæpius comperitur; iccirco Sodales vobis proponam, quod in quamplurimis cadaveribus hac ſuper re obſervare datum eſt, quodque ſentio de ejus uſu.

Jam ab anno 1699. cl. Duverneyum eum ſinum unico tantum, ad ſummum duplici principio donatum, quo definit ſinus antiquorum quartus, ac in quatuor ſtatim diſciſſum ramos, binis in lateralium ſic dictorum ſinuum finem, biniſque aliis in vertebrales venas prope magnum Occipitis foramen

(a) *Loc. cit.* §. XXVIII.

men inferi, primum memoriæ mandaſſe ex Anatomes profeſſoribus didiciſſe commemini. [*a*]

XXIV. Deinde cl. Morgagnus, cui tot, & tanta debet Anatome, anno 1719. præclaro Adverſariorum opere recuſo, ſinum ibidem, quandoque duplicem inveniſſe legitur, in vicinia magni Occipitis foraminis ortum trahentem, ac per eundem proceſſum aſcendentem, quocumque deſinit ſinus quartus, prope hunc pariter eum ſinum deſinere, ibidem contentum ſanguinem adducentem. (*b*) *De eodem ſecundum Morgagnū*

XXV. Poſtremo cl. Santorinus ſuis in obſervationibus anatomicis, quas anno 1724. typis edidit, eundem ſinum itidem deſcripſit, a loco *Herophili torcular* nuncupato, paulo inferius unico principio oriundum, qui mox ſecundum eum bifariam diſpeſcitur, ſicque conformatus ſinuum lateralium finem influit. (*c*) *De eodem ſecundum Santorinum.*

XXVI.

---

[a] *Jacob. Keil The Anatomy Abrigd.*

(b) *Adv. Anat.* VI. *Animad.* II. *ibid. Tab.*I. *Fig.* II. *Litt.I.K.pag.*132.

(c) *Obſ. Anat. Cap.* III. §. III.

Quanam ex eis obſervationibus magis veritati faveat.

XXVI. Hæc cum varia inter ſe, & paulo diſcrepantia ſint, quod ſcrutanti mihi eum ſinum, iniecta prius in alteram jugularium, ut ante dixi, cera, ſe obtulit, ſtudio veri afferre non pigebit: & ne vos Sodales cll. hac ſuper re per longas ambages teneam, unuſquiſque veſtrum brevi ſic habetote, naturam in ejus ſinus opificio quam maxime ludere; etenim hunceundem ſinum itidem ut ab unoquoque ex his oculatiſſimis profeſſoribus pronunciatum eſt, modo hunc, modo illum non ſemel comperi, quamvis cæteroqui anonymus auctor Gallus, [*a*] de quo ſupra mentio facta eſt, eum tantum commemoret, quem ejus municeps Verneyus deſcripſit. [*b*]

Sæpius tamen ita conformatum vidiſſe recte memini, vel ſine ulla ceræ injectione, ut cl. Santorinus perhibet; ejuſque præterea crura per tranſverſos canaliculos communicare aliquando obſervavi.

De ortu ſinus a Morgagno memorati

XXVII. Id unum porro addam Sodales; quum denique hicce ſinus ita confectus, ut ſolertiſſimus Morgagnus tra-

[a] *Abragé de l' Anat. Tom. Sec. pag.* 230. [b] *Num.* XXIII.

tradidit, ultro mihi occurrerit, eum in vicinia magni Occipitis foraminis circum tranſverſos proceſſus primæ cervicis vertebræ, venas vertebrales influere utique inſpexi, perinde ac binos ramos cl. Duverney ſinus eaſdem in venas, ut mox dictum eſt, [*a*] inſeri deprehenditur; quod omne vel cl. Winslowium non latuiſſe mihi videtur: [*b*] quamobrem per hunc eundem ſinum cruorem citius a loco, ubi deſinit ſinus quartus, ad venas vertebrales fluere quam e contra, non ſolum naturæ magis conſonum eſſe, ſed rem non ſecus ſe habere poſſe per me cenſeo. *ſuaque cũ venis vertebralibus communicatione.*

XXVIII. Præterea eum ſinum ex quibuſdam pro uno vel duplici, exiguis *Hic idem ſinus ori-*

[a] *Num.* XXIII.

[b] *Expoſit. Anat. &c. Traité des Ven. n.* 113. *ubi ſic legitur* Ainſi la Veine Vertebrale va quelquefois par un Tronc, & quelquefois par pluſieurs Tiges accompagner l'Artere Vertebrale à travers les Trous des Apophyſes du Col juſqu'au grand Trou Occipital en communiquant avec les Veines Occipitales & avec les petits Sinus Occipitaux de la Dure-Mere.

tur quandoque pluribus orificiis circũ torcular. guis circum *torcular* orificiis ſtatim conſpirantibus, quandoque ortum trahere compertum habui; quo fit, ut tum cera parum vel nihil impletus ſinus conſpiciatur: quæ porro orificia præſtantiſſimi noſtri ſodalis Morgagni ſolertiam non fugerunt. (*a*)

De occipitali Valſalva, ut vocant, vena, ſuaque cum ſinu Laterali, & vena vertebrali communicatione. XXIX. Siquidem de finibus duræ Meningis ſermonem habeo, hic non alienum eſſe puto ſuper vena occipitali ſic dicta, diſſectionum vere magiſtri Valſalvæ meas obſervationes vobiſcum Sodales communicare, utpotequæ ex cl. auctoris ſententia peculiari foramine in oſſe cranii prope proceſſum Maſtoideum inſculpto donetur, eo ut communicationem cum laterali ſinu inire valeat. (*b*)

Hic

(a) *Adv. Anat.* VI. *Animad.* II. Et ſi vero de ſeptendecim capitibus, in quibus hunc ſinum perquiſivi, quinque fuerunt, in quibus nihil ipſius, niſi exigua intra Torcular orificia.... conſpexi.

(b) *Eam venam penitus perſpectam, planeque cognitam Falloppio, quin etiam foramen, per quod illa cranium pervadit, a ſolertiſſimo Euſtachio delineatam*

cl.

Hic ergo præſtantiſſimus profeſſor ſibi perſuaſum habebat ejus venæ ſanguinem in lateralem ſinum delabi, & ſi vena ita uſquequaque inveniretur, ut ab eodem deſcripta eſt, (*a*) atque Iconiſmus, quem nobis reliquit, oſtendit, (*b*) in dubium præcl. auctoris aſſertio minime vocari poſſet: at enim Sodales in ejus venæ deſcriptione, atque in ejusdem pariter Iconiſmo ramus

---

cl. Morgagnus in Ep. ad Illuſtrem Joannem Mariam Lanciſium, Anatomicis Euſtachii Tabulis præmiſſa, jam pridem indicavit. Præterea vir Ampliſ. in IV. ex eruditiſſimis Anatomicis ad amicum Epiſtolis Valſalvæ operibus additis [quod opus nuperrime ad meas pervenit manus] uberius oſtendit, l. c. n. II., *ut-potequi unicuique ſuæ virtutis, & ſudoris laudem tribuere ſummopere conatur, ejus venæ, ſicut, & pro ea foraminis quamplura veterum Anatomicorum monumenta mentionem facere. Vide etiam hac ſuper re celeberrimi viri Adv. Anat.* VI. *Animad.* LXXXIII.

[a] *De Aure Hum. Tract. cap.* I. *num.* XIV.

[b] *Loc. cit. Tab.* VII. *Fig.* II. *lit. F.*

mus alter ſatis capax deſideratur, qui in eadem pone proceſſum maſtoideum inſertus conſpicitur, priuſquam vena cranii foramen ſubeat, per quem ramum hæc eadem occipitalis vena cum vertebrali itidem vena in vicinia tranſverſi proceſſus primæ cervicis vertebræ manifeſtam habet communicationem: niſi tamen clarius cum ſummo anatomico Winslowio aſſerere velimus hanc eandem occipitalem venam ramum eſſe ejusdem venæ vertebralis, quacum ſinus lateralis per canaliculum foramen memoratum cranii prope proceſſum Maſtoideum pervadentem communicet; [a] quomodo in ſinuum duræ meningis Iconibus videre eſt, quas ad hanc celeb. Academiam proximis annis miſit præcl. noſter Sodalis Leprottus.

Num ejus vena cruor ad Lateralem ſinum, vel ad ver-

XXX. Ea cum ita ſe habeant, Sodales, ſi unuſquiſque noſtrum ad Dei Optimi Maximi inſtitutum reſpiciat, quod eſt de cerebri conclavi per quamplu-

[a] *Expoſit. Anat. Tom. Troiſ. Traité des venes num. 95. pag. 94. quo loci VVinslovvius eam occipitalem venam quandoque ab externa jugulari, vel etiam ab axillari oriri tradit.*

plures vias, ut ante dixi, (*a*) ſanguinem deducere, nonne maxime e natura eſſe videtur, cruorem ex laterali ſinu una cum illo eodem occipitalis venæ per unicum hunc eundem ramum a nobis modo deſcriptum, quadam compendioſa ipſius naturæ lege, vertebralem venam verſus fluere, quam e contra? eandem hanc æquam ſuſpicionem meam magis auget, ſi quid ego judico, non ſemel obſervaſſe injectionis ope in alteram, ut ſupra dictum eſt, ex jugularibus, ceram in eum ramum, atque in eandem vertebralem, quandoque etiam in truncum ejuſdem venæ occipitalis partis oppoſitæ ex laterali ſinu facillime profluxiſſe. (*b*) Præterea foramen, quod eidem venæ ſecundum prælaudatum Valſalvam inſer-

tebralem venam profluat.

(a) *Num.* XVII.

(b) *Attamen ampliſſimus Profeſſor Anatomes Morgagnus hanc eandem rem quodammodo indicaſſe videtur cum ait:* Ut minus mirari oporteat, ſi in foraminibus quoque, ſeu mavis oſſeis canalibus ad has venas (*Vertebrales ſcilicet*) admittendas, vel, ut aliis placet, emittendas (*Epiſt. Anat* IV. *num.* II. *pag.* 77.)

ſervit, ex obſervationibus probatiſſimi Winſlowii, nunquam vero occipitalis vena, aliquando in cranio deſideratur; [*a*] quamobrem tum cruor ejuſdem venæ occipitalis ad vertebralem fluat oportet. Si ergo in hoc caſu res ſe ita habet, quin ſic ſemper ſe habeat? & hæc quidem ſuper duræ meningis finibus.

De Glandulis Bartolini, ut vocant, proſtatis, earumque ductu & Lacunis in Foſſa Muliebri.

XXXI. Non parum laboravi, libentiſſime fateor, priuſquam celebres in ſinu Pudoris mulierum repererim glandulas, quamvis noſtris præſertim temporibus ſatis obvias Anatomicis atque notas, Bartolini Proſtata earum inventoris, nuncupatas, eo quod illud valde ſalax viſcoſum ſerum tempore coitus mirifico voluptatis ſenſu ex eis erumpit, Mulierum ſemen dumtaxat perperam vocatum; poſterius vero intellexi, ut melius, & commodius eædem invenirentur, oportere totum Muliebre Pudendum ex cadavere ablatum, calida immergi; tum enim turgeſ-

[a] *Expoſit. Anat. Tom. Prem. Traité des. Os Sec. num.* 261. *Quod a præſtantiſſimo Morgagno comprobari deprehenditur.* [*Epiſt. Anat.* IV. *n.* 11.]

geſcunt, & nullo negotio in Puerperis præſertim (amotis acceleratoribus dictis clitoridis Muſculis, cavernoſoque, ſeu retiformi plexu vaginæ orificium ſuccingente) in conſpectum dantur; volſella tamen elevandæ ſunt, quum non parum ſint compreſſæ, atque eidem vaginæ orificio admodum adhæreant: earum per idem tempus excretorius ductus quatuor linearum longitudinem minime excedens, retegitur, bifidus tantum proxime glandulam, inque magnæ foſſæ lateribus protinus ante Hymenem in intemeratis Mulieribus, vel forte eo lacerato, ante myrtiformes carunculas unico tantum exiguo foramine, quantum videre potui, lacunæ nomine appellato, deſinens; [a] in quo ductu

D me-

[a] *Vide Morg. Adv. Anat. 1. pag. 42. num. 31. ibidem Tab. III.* ** *Eas carunculas famigeratiſſimus auctor cum ſolertibus Anatomicis Riolano, & Munickio ex lacerato Hymene pronaſci arbitratur. [loc. cit. num. 29. pag. 29.]*

Severinus Pinæus e contrario olim apud Pariſienſes Chirurgus peritiſſimus, ſicuti teſtimonio eſt Thom. Bartolinus,

(Anat.

memoratum viſcoſum ſerum aperte, conſpicitur.

De iisdem, ac de mucoſis Covvperi glandulis. XXXII. Has easdem glandulas in quocumque cadavere non ſemper inveniri nonnulli perhibent; at ego poſtquam ea uti cæperim diligentia, nuſquam

---

(*Anat. quart. edit. de Infim. vent. cap.* XXXI.) *itemve qui ejus auctoritatem ſequuti ſunt, has eaſdem carunculas naturam ita adunguem molitam eſſe cenſent, ut ante oculos nobis obverſantur, quæ tum comparent, cum membranula, qua vinctæ invicem detinentur, diſciſſa eſt; verum parum recte, ut plane ſuſpicari licet, ob rationes, quas modo dicturi ſumus.*

I. In Parturientibus (*inquit Graafius*) & poſt partum ita obliterantur (*myrtiformes carunculæ*) ut earum veſtigium ne vel minimum quidem remaneat, *de Mul. Organ. Cap.* V. *pag.* 103.

II. *In illis tantum inveniuntur Mulieribus, quæ virum expertæ ſunt, neque*

III. *In his eiſdem unus, & idem numerus, & locus conſpicitur.* [*Morgagn. Adver. Anat.* 1. *num.* 29.]

IV. *Ex obſervationibus Hieronymi Me-*

quam eaſdem deſiderari deprehendi; itidemque diligentiſſimum Santorinum eas perpetuo obſervaſſe agnoſco. [*a*] Id idem vero de Mucoſis Cowperi glandulis in uretræ noſtri ſexus gratiam conflatis, quas in cl. Drakii Tabulis bene pictas video, [*b*] de tertia potiſſimum cæterarum tenujore proxime bulbum uretræ, nullatenus affirmare poſſum: interdum enim, & quidem ſæpe, quamvis locum unicuique ſatis notum, omnemque viciniam, quacumque diligentia adhibita, perluſtrarem, incaſſum quæſivi, ut eidem Morgagno quandoque accidiſſe intelligo. (*c*) D 2 Nec

Mercurialis, (Var. lect. lib.6. cap. 25.) ut legitur apud cl. Morgagnum, [loc.cit.] conſtat quandoque accidere, ut in placido diuturnoque concubitu ſenſim & pedetentim hymenis annulus ſine ulla laceratione ita dilatetur, ut penitus evaneſcat; atque tum id obtingere poteſt, cum in nobiliori mediocritas Penis, in ſequiori vero ſexu latior, ac infirmior annulus reperitur.

[a] *Obs. Anat. cap.* XI. §. VII.

[b] *Antrop. Nova vol.* I. *Tab.*IV. *Fig.* I. 2. *Tab.* V. *Fig.* I.

(c) *Adver. Anat.* IV. *Animad.* XV.

Nec tam perdifficilis indagationis reapſe exiſtunt, ut prorſus ab Anatomes profeſſoribus ignorari debeant, velut aperte ait Vereyenus. [*a*] Has ergo Cowperi glandulas, quas nimirum Terraneo, quippe, ut legitur, qui ſuum inventum non ſolum opinabatur, ſed etiam tale a quibusdam putabatur fore, (*b*) *Adſtites* nuncupare placuit, canaliculo procero & tenui, videlicet ad quatuor tranſverſos digitos, donari deprehenditur; in quem canaliculum ſetam vel levem, poſtquam mentulati hominis penem calida immerſerim, ſemel tantum inſerere contigit.

De Hymene. XXXIII. Nullus opinor his temporibus eſt, qui de Hymene ambigat, quum nunc jam res ſit in propatulo, mihique ejus conſpiciendi fuit occaſio in

---

[a] *Corp. Hum. Anat. lib.* 1. *Tract.* II. *cap.* XXIV.

(b) *Morg. Adver. Anat.* IV. *Animad.* XV. *Quo loci legitur in animantibus iſtiuſmodi glandulas Profeſſores Bononienſes cel. cum magno ſuo Præceptore Malpighio, de cujus laudibus nulla unquam ætas conticeſcet, primos ex omnibus vidiſſe.*

in quamplurimis Mulieribus modo junioribus, modo grandævis, quas inter binas percenſeo aniculas ſuperioribus diebus D. M. mortis Noſocomio denatas, quarum tota etiam pars ipſa pudenda eas nunquam virum paſſas eſſe primo aſpectu oſtendebat: etenim ſuper cætera frenulum ſatis patulum cernebatur, vel pulcherrima navicularis, ut inquiunt, foſſa. (*a*) Cæterum utriuſque Hymenis annulus quin eſſet omnino circularis, ſub uretræ orificium adunguem tantillum aberat; alter tamen erat altero craſſior, & validior, eminuſque prominebat.

Tali occaſione perpendi una cum cl. ſodali Galeazio, quicum pro maximis rerum plurimarum, potiſſimum vero anatomicarum notionibus, noſtraque neceſſitudine meas obſervatio-

(a) *Regnerum Graafium Anatomicum præſtantiſſimum hoc idem obſervaſſe una cum cl. Luca Scacht in virgine* XXIV. *circiter annos nata memorare non piguit: ait enim:* diductis a ſe invicem Vulvæ labris in inferiori Pudendi parte altum conſpeximus frenulum. (*de Mul.Org. cap.V.pag. m.*102.)

nes atque cogitata communicare mos eſt, perpendi inquam utrum digitorum ope, qua, ut fama eſt, obſtetrices Mulierum pudicitiam explorare ſolent, Hymen vere dignoſci valeat: quapropter ea tactus ope ejuſdem cognitionem capi non eſt meo judicio cur dubitetur: etenim velut annulus conſpicitur, ſeu circulus, qui ſpecie rugæ, aut valvulæ in modum ſatis ſenſibilis aſſurgit. (*a*) An vero ad rém ejuſmodi capeſſendam Obſtetrices aptæ ſint, quæ tantum Vaginæ orificii anguſtia fortaſſe fidunt, certo aſſerere Sodales non auſim: etenim præterquamquod id dubium, controverſumque ſit, non me latet præterea Horatium Augenium notitiam habuiſſe cujuſdam impudicæ Mulieris, (item ut de Regnero Graaſio accepi] quæ vaginæ orificium ita artificioſe coanguſtare novit, ut Obſtetrices ſex magna exercitatione præditas deceperit. (*b*)

XXXIV.

(a) *Morgagn. Adverſ. Anat.* 1. *num.* 29.

(b) Tantum, *inquit*, poſſunt ejuſcemodi fraudes, ut viderim ſex probatæ

XXXIV. Muliebris Pudendi labia interiori facie æque ac Nymphas duobus in cadaveribus quibuſdam pilis obſideri eis ſimillimis, qui eodem in Pudendo ſpectantur, hic Bononiæ deprehendi, quorum alterum ut veſter item conſpiceret Galeazius curavi, quos pilos ibidem nuſquam cl. Morgagno, quantum legitur, videre contigit; proin difficultati a ſemetipſo propoſitæ reſpondens circa ſebaceas, quas dixit glandulas, quibus eas partes confertiſſimas eſſe accuratiſſimus auctor invenit, an ſcilicet omnia ea tubercula, quæ pro ſebaceis glandulis habet, uſquequaque vere ſint pilorum bulbi, ut in naſi e. c. pinnarum ejus generis glandulis plane cernitur, eo quod pilos ibidem pronaſci ut dictum eſt, vir experientiſ. minime animadvertit, non idem eſſe de eis ju-

Pili ex interiori etiam facie labiorum pudendi Muliebris, tum etiam ex Nymphis prominentes.

batæ famæ Obſtetrices mulierem quandam judicaſſe intactam Virginem, quæ ſeptem antea menſibus Puerum pepererat. (*Epiſt. Med. Tom. II. lib.* I. *cap.* VI. *Regner. Graaf.*, *de Mul. Organ. cap.* V. *pag. m.* 109.)

dicium faciendum enunciavit. (*a*)

Sebaceas glandulas, labrorum pudendi Muliebris Nympharumque, pilorum bulbos eſſe aſſeritur.

Hac ideo obſervatione factum eſt, ut mihi ſuſpicionem iniecerim, ejuſmodi etiam glandulas, quamvis pili ex eis haud ſemper prodeant, eorundem bulbos eſſe nihilominus: non inde tamen fit, quominus pro ſebaceis has eaſdem glandulas habeam, perinde ut famigeratiſſimus auctor de conſimilibus glandulis, quæ in naſi pinnis, ut ante dixi, ſpectantur, judicium tulit. [*b*]

De Uteri ſinibus, aliiſque vaſis ſanguiferis, potiſſimum vero de mira inter ſe, atque cum ipſa uteri cavitate communicatione.

XXXV. Curioſum ſane viſuque jucundiſſimum animadvertere eſt Sodales, aerem immittendo in alterum arteriæ, vel venæ hypogaſtricæ ramum, aliis ſingulis utrinque vinculo adſtrictis, communicationem, ſeu anaſtomoſim, quam invicem agunt arteriæ, itidemque venæ Matricis alterius lateris cum ſimilibus partis oppoſitæ, iisdemque ſpermaticis. (*c*) Et non ſolum ea vaſa, ſed etiam ipſius Matri-

---

(a) *Adv. Anat.* I. *num.* 12. *pag.* 11. 12.

[b] *Loc. cit.*

(c) *Vide Regnerum Graafium de Mul. Org. cap.* VIII. *pag. m.* 130. *Tab.* XII. XIII.

Digitized by Google

tricis cavitatem, eandemque Vaginam inflari cernitur: viciſſim vero ſingulis venoſis canalibus Utero, Vaginæ atque Ovariis dicatis per orificium vaginæ inſufflando idem contingere plane patet, ut in D. M. Mortis Noſocomio una cum oculatiſſimo Galeazio non ſemel expertus ſum.

Cæteroquin hæc eadem omnia mirabilem in modum in Puerperis conſpiciuntur, in quibus ſi prius Matrix ſpongia madefacta foveatur, aut in calida aliquantisper immergatur, ſua vaſa ita turgeſcunt, ut venæ exterius, ſinuſque, quos dicunt venoſos, quandoque digitum admittere videantur. (*a*)

De quodam Muliebri Ovario, Luteoque, ut vocant, corpore in eodem reperto.

XXXVI. Nec minori cum voluptate perſpexi in Muliere, quæ abortum paſſa erat, alterum ex ovariis ſubfuſci fere coloris, non nihil molle, quodam pertuſum oſculo, ſeu mavis rimula, per quam immiſſa ſeta, facili negotio intro pervadit; quamobrem ejus denſo validoque involucro inciſo, luteum corpus ſatis rubeſcens, fa-

(a) *Vid. Regnerum Graafium loc. cit. Morgagn. Adv. Anat.* IV. *Animad.* XXVI. *Fanton. Diſſert.* X. *pag.* 219.

fabæ minoris magnitudine & forma, memoratæ rimæ reſpondens occurrit, quomodo profectoribus jam diu compertum deprehendo. (*a*)

De Lactiferis Mammarum Tubulis.

XXXVII. Mammas præterea ejus mulieris circum areolas, ut earum tuberculis ſecundum cl. Morgagni monitum (*b*) ſebaceam emungerem materiem, forte compreſſi; mox autem facile intellexi, ex papillæ foraminibus liquidam ſubſtantiàm ſero ſimillimam affatim erumpere: cum igitur ad tubulorum lacteorum radices, proxime ſcilicet glanduloſam ſubſtantiam utriuſque Mammæ inciſionem injecerim, eandem ſimiliter ſeroſam ſubſtantiam ibidem extillare protinus animadverti: tum demum ſifunculo eodem loco circumflare cæpi, atque aerem per papillæ foramina ſtatim propelli intuitus ſum. Papilla vero per idem tempus digitis adſtricta, aerem prius eam verſus, poſteaque per univerſos lactiferos Mammæ ductus reverti non ſemel comperi; quod quidem oſtendit, quomodo mihi perſuadeo,

deo,

(a) *Vid. inter cæteros Fanton. diſ.* IX. *p.*194. *Santor. loc. cit.c.*XI. §. 15.16.

(b) *Adver. Anat.* I. *n.*12. *pag.*11.

deo, nullas in lacteis tubulis valvulas inveniri; [*a*] prætereaque eoſdem tubulos circum papillas invicem communicare. (*b*)

De umbilicalium humani fœtus Arteriarum peculiari inter ſe prope Placentam communicatione, deque funiculi umbilicalis communi membrana.

XXXVIII. Arteriis umbilicalibus in Vitulis intermedium prope Placentam communicationis canaliculum eſſe Anatomicis jam innotuit; [*c*] attamen hoc idem in humano Fœtu vertendo craſſam validamve funiculi umbilicalis communem membranam, Romæ ſemel aut iterum obſervaſſe memoria teneo; quam communem membranam amnii coriique continuationem fore probe intelligitur; [*d*] atque interdum hæ eædem membranæ quamvis prope Placentam, ad initium videlicet funiculi umbilicalis ſtrictim ſint invicem conjunctæ, atque amnios ibidem ſit per quam exilis & levis, tamen nihilominus quandoque mihi licuit

---

[a] *Vid. cel. Morgag. Adver. Anat.* v. *Animad.* 11.

(b) *Fanton. Diſſert.* xi. *pag.* 269.

[c] *Fanton. Diſſert.* x. *pag.* 232.

(d) *Cl. Heiſterus funiculi umbilicalis communem membranam amnii continuationem tantum eſſe ait. (Compend. Anat. Tom.* 1. *n.* 244.)

cuit ſingulas a funiculo umbilicali ſeorſum invertendo ſejungere.

De Arteriis, & venis, ut vocant, Bronchialibus.

XXXIX. Pulmonum bronchia propriis arteriis venisque donari noſtris temporibus quotidie planius Profeſſores agnoſcunt. Arteriæ nullo negotio, ut ita dicam, inveniuntur, tametſi non ſemper idem ſit numerus, modo enim duplex, modo triplex apparet; ſed vero duplex, raro triplex conſpicitur. (a)

Nec minori varietate venæ gaudent, cum una tantummodo aliquando obſervetur: ſæpius enim propria & peculiari vena Bronchia deficiunt. Inſtabilem item ejus ortum eſſe unumquemque non latet: etenim Profeſſores quandoque ex trunco venæ cavæ, vel ex altera interco-ſta-

(a) *Arteriam Bronchialem experientiſs. Ruyſchii inventum eſſe vulgo uſurpatur, verum præcl. Morgagnus, qui multum laboris omni tempore ſibi ſumpſit, non ſolum ad cadavera ſed etiam ad ſcriptores conſulendos, hanc eandem Bronchialem arteriam antiquitus ab eodem Galeno atque Fernelio deſcriptam eſſe luculenter oſtendit.* (*Adver. Anat.* v. *Animad.* XXXII.)

ſtalium vel denique ex eadem ſubclavia oriri perhibent. Ego quod ad me attinet ex ſubclavia dextri lateris ortum trahere ſemel tantum inſpexi, quam præſtantiſſimo viro Antonio Leprotto etiam oſtendiſſe memini. Attamen alterum quandoque ex ramuſculis ſiniſtræ intercoſtalis venæ ſuperioris, (*a*) ad Bronchiales glandulas contendentibus, ſuper Bronchia ultro progredi mihi videre viſus ſum.

De valvula Reticulata Euſtachii ſic dicta ad initium venæ cavæ.

XL. Valvulam, ut vocant, reticulatam ad initium, ſeu finem dicere velimus, trunci venæ cavæ inferioris poſitam, cel. Euſtachio pereſpectam & cognitam, ex ſuis ſpectatiſſ. Tabulis habetur: [*b*] tamen haud inficior, quin multum cl. Winſlowio debeatur, eo quod cum eſſet noſtris temporibus fere obſoleta, iterum non mediocri labore palam produxerit. (*c*)

Hæc

(a) *Ejus venæ deſcriptionem vid. apud VVinslovvium Expoſit. Anat. Tom. Troeſ. num. 27. Traité des Veines.*

[b] *Opuſc. Anat. Tab.* VIII. *Fig.* VI. *Tab. Anat. Tab.* XVI. *Fig.* III.

(c) *Hiſt. de l'Acad. Roy. des Scien. An.* 1717.

Hæc eadem valvula in fœtibus ſpectari ſolet, atque in eorum gratiam facta eſſe vulgo creditur: non inde tamen ſequitur vel in adultis conſpici non poſſe; Romæ enim in utriſque una cum præcl. Leprotto, & Franciſco Ruſſeo non ſemel conſpexiſſe ſuccurrit: præterea vel nobis datum eſt non ſolum in fœtibus, ac puerulis, ſed etiam in adultis ſuo comptam reticulari complemento eam quandoque ſpectaſſe. Unusquiſque tamen cel. Morgagnum, qui plene eſt cumulateque de ea commentatus, diligenter evolvere non deſinat. (*a*)

Et hæc perpauca ſunt Sodales, quæ vobis narranda ſuppetebant: compendioſe quam maxime potui, & dilucide ea digeſſi; veruntamen ſi nimis in his percenſendis patientia veſtra abuſus ſim, vel minus aliquid dignum attentione veſtra protulerim, ob ſummam cujuſcunque veſtrum humanitatem vos excuſaturos fore confido.

FINIS.


PETRI TABARRANI

(a) *Epiſt. Anat.* XV. *num.* 21. *& ſeq.*



Digitized by Google

.21.


I

PETRI T[illegible]HKRANI 61

Digitized by Google


Digitized by Google

Google

Digitized by Google

00563764

Digitized by Google


K

Digitized by Google

Digitized by Google